QUÆSTIONES ANNO 1862

Collationibus theologicis in archidiœcesi Quebecensi discutiendæ.

I.

Jacobus ivit ad Franciscum, amicum suum, in vicina parochia degentem, atque ab eodem emit unum equum, ac alterum mutuatus est ad aliquot dies.

Eadem die utrumque equum reclusit in stabulo suo.

Sequenti vero nocte, equus commodatus furto subductus est: et altera die equus emptus subito mortuus est, ex anevrisma in aorta, ut, ex examine cadaveris, compertum est.

Nunc Franciscus petit pretium duorum equorum. At Jacobus recusat solvere, nisi ad id cogatur in conscientia a parocho suo. Quærit igitur parochus:

1° An Jacobus teneatur solvere pretium equi commodati?

2° An teneatur solvere etiam pretium equi empti, in casu?

Titius Confessarius, ex auditione confessionis Franciscæ, cognovit ipsam ignoranter contraxisse matrimonium cum impedimento dirimente affinitatis in primo gradu, orto ex copula illicita cum fratre sui viri: timet autem, ne mulier, certior facta impedimenti, adhuc sit habitura rem cum suo putato viro.

Quærit ergo Titius quomodo se gerere debeat cum dicta Francisca? An scilicet illam admonere de invaliditate matrimonii sui? An potius illam relinquere in bona fide, donec dispensationem obtineat pro illa?

II.

Xistus, confessarius, fere numquam beneficium absolutionis impertit pœnitentibus qui, frequenter ad Sanctum tribunal et Sacram communionem accedentes, nonnisi peccata venialia confitentur: Eusebius vero, absolutionem dat semper hujusmodi pœnitentibus. Quæritur ergo.

1° An uterque possit tuta conscientia praxim suam tenere?

2° Si negative, quid Xisto, aut Eusebio; vel denique quid utrique consulendum.

Parochus ruralis, quodam die festo celebrans missam solemnem, postquam hostiam consecravit, advertit se non consecrasse hostiam reponendam in ostensorio pro benedictione SS. Sacramenti danda post vesperas. Quare hostiam consecratam in sacrario ponit, et ex preconsecratis particulis unam extrahit sumendam, et sumit loco hostiæ in missa consecrata. Quæritur an bene se gesserit.

III.

Hortensius, insignis usurarius, reliquit duos filios hæredes, nulla facta restitutione.

Confessarius istius usurarii, qui eum non admonuit de onere restituendi, anxius tandem quærit:

1° An si unus ex hæredibus, vel restituere nolit, vel impotens sit, teneatur alter restituere in integrum ?

2° An, nolentibus restituere hæredibus, ipse teneatur restituere ?

Quidam parochus habet in sua parochia unum concubinarium, et quosdam ebriosos. Hos peccatores sæpe admonuit, ut vitam emendarent; quod totidem promiserunt, sed semper neglexerunt. Dolens de eorum impœnitentia, ac maxime sollicitus de eorum salute, valde timet ne quisquam subito morbo correptus moriatur sine confessione. Ideo quærit anxius quid agere deberet, si vacatus ad administranda ultima sacramenta cuiquam istorum peccatorum inveniret illum sensibus destitutum, nec ullum prius pœnitentiæ signum dedisse.

1°. Annon scilicet deberet, aut saltem posset illum absolvere ?

2°. Imo an non etiam ipsi impertire extremam unctionem ?.. Cum unusque eorum semper protestatus est se nolle mori in impœnitentia ?

IV.

Beatrix, puella in domo paterna vivens, sæpe peccavit cum marito sororis suæ, secum habitante in eadem domo: proindeque constituta est in occasione proxima, quam fugere non potest. Attamen non negligit confessionem, et cum lacrymis petit absolutionem.

Confessarius ejus quærit igitur :

1°. An absolutio dari possit aliquoties pœnitentibus constitutis in occasione proxima ?

2°. An debeat differre, vel dare absolutionem in casu?

3°. Tandem quid præscribere debeat puellæ ut disponatur ad absolutionem?

Victor, vir dives et pius, petit ut tres missæ de requiem celebrentur, pro anima uxoris suæ defunctæ, corpore præsente: scilicet prima in ecclesia sua parochiali; secunda, eodem die, in ecclesia succursali S. Pancratii, quam pia mulier vivens, frequenter invisebat; tertia tandem, sequenti die, in ecclesia monialium S. Birgittæ, ubi sepeliendum est corpus. At in istis duobus diebus occurrunt festa duplicia. Quærunt ergo Rector Succursalis, et capellanus monialium:

1°. Quibus diebus liceat cantare missas de requiem pro defuncto, corpore præsente?

2°. An duplex missa de requiem, pro eodem defuncto, etiam corpore præsente, decantari possit, in eadem ecclesia, vel in diversis ecclesiis, in duplicibus?

3° Denique, an saltem missam de requiem celebrare liceat corpore præsente in festo duplici pro uno defuncto super cujus corpore jam pridie missa celebrata est.